





MELCHIORIS DETHMARI
GROLMANNI,

JURISCONSULTI ET ANTECESSORIS
IN ACADEMIA GIESSENSI
QUONDAM CELEBERRIMI,

23

9

1717, 25

COMMENTATIO JURIDICA

DE

RECUSATIONE

JURAMENTI
JUDICIALIS.



G I E S S Æ,
APUD JOH. JACOBUM BRAUN, ACAD. TYPOGR.
M DCC LIII.

786

1717



23

MELCHIORIS DE THAMARI
GROLLMANNI.

JURISCONSULTI ET ANTHROPOLOGI
IN ACADEMIA GIESSENSI
QUONDAM CIBERINUS

COMMENTATIO JURIDICA

DE

RECURSATIONE

JURAMENTI
JUDICIALIS



APUD JOH. JACOBUM BRAUN. ACAD. TYPOG.
GIESSE.





B. C. D.

§. I.



nter infinita fere, quæ antiquitas invenit, Juramentorum genera, diversis JCrorum, pariter ac Canonistarum Consiliis, tractatibus atque Commentariis, passim illustrata, Nobis litis decisorium, directo & principaliter (nam discrepantes

Ultra- & Citra-montanorum, hac in re, opiniones adducit Ant. Fab. *in ration. ad L. 1. de jur. jur.*) controversiæ finiendæ & veritatis asserendæ causa, inventum *L. 1. de jur. jur.* & quidem non Voluntarium, sed Judiciale quod à parte parti in judicio, *judice comprobante, directo litis decidendæ causa defertur & suscipitur.* Laut. *in Colleg. theoric. pract. L. 12. tit. 2. §. 62.* Struv. *in Syntagm. Jur. Civil. Exercit. 16. th. 31.* Setzer. *de jurament. L. 4. Cap. 1. n. 10.* (Quamvis alia consideratione Huber. *in prælect. ad ff. hanc denominationem juramento necessario applicet*) nec illud in fusiſſimo juris ambitu integrum, verum minima ejusdem rei particula, quæ de hujus Sacramenti recusatione agit, commodum præſenti Dis-

A 2

ferta

fertationi argumentum, acutissimis DD. altercationibus nobilitatum, in praxi frequentissimum & cunctis scitu perquam necessarium, exhibebit.

§. II.

Missæ vero definitione Nominali, scrupulosaque verborum, in rubro positorum, quippe quæ vel nulla obscuritate laborant, vel sufficientem ex §. I. lucem accipiunt, indagine, Thema propositum, sequentem in modum describimus, quod sit. *Actus, quo mediante juramentum judiciale, super negotio, inter partes litigantes controverso, legitime, de-vel relatum in judicio, de facto aut de jure, recusamus.* Actus verbum generale est, illudque negotiis quæ varie perficiuntur commode applicatur L. 19. D. V. S. juramenti quoque judicialis mentionem facimus restrictivè, ut aliorum juramentorum, in specie voluntarii recusationem, certatione legibus permissam vid. L. 17. de jur. jur. hinc penitus eliminemus: Dicimus porro *in judicio*, voce hac generaliter accepta, & quæ ante, quæque post litem contestatam sunt, continentur §. fin. Inst. de pen. tem. litig. vid. infr. th. jungitur *legitime*, ut modum jure approbarum, significemus. Addimus *de facto vel de jure*, ad denotandum diversas recusationis species, jung. §. 4. negotium quoque controversum desideramus, ne Objecti, quod infra tradetur, oblivionem incurramus. Verbo *declinationis* vero finem, quem quisque recusans intentat, ut se nimirum, ab onere præstationis liberet, indigitamus. Denique in *de- & relato* nobis juramento recusationem admittimus.

§. III.

III.

Unde non levis, an non juramenti relato cum recusatione coincidat, itaque materiae hæc temere ab invicem separentur? scrupulus suboritur. Verum sicuti in *Cap. fin. X. de jur. jur.* recusatio à relatione manifeste discernitur, idque etiam *L. fin. C. de fideic.* sufficienter innuit, & clarissime *L. fin. §. 4. ibi vel dari, vel referri, vel recusari,* & rursus *sub fide tamen gestorum juramentum præstari, vel referri, vel recusari. C. de reb. cred. §. jur. jur.* aperte demonstrat. Ita præter affinitatem quandam, identitatem nullam inter hæc duo agnoscimus; nam, etsi omnis referens, hoc ipso præstationem juris jurandi declinet, non tamen vicissim præstationem recusans, semper juramentum refert, uti exemplo delati ab adversario, à nobis vero recusati, evidenter clarescit, is enim cui delatum fuit, quando ejus præstationem recusat, id aliis non refert. Nec relati juramenti relatio obtinet *L. 34. §. 7. §. fin. de jur. jur.* recusat autem is cui relatum, & Sacramenti relati, ex justa causa datur recusatio *C. fin. X. de jur. jur. L. fin. C. de fideic.* Porro relatio delationis validitatem communiter præsupponit arg. *L. 38. de jur. jur. Laut. de Relat. Jurisjur. th. 11. §. 54. recusatio delati juramenti nunquam L. fin. §. 2. C. de reb. cred. arg. L. 5. §. pen. L. 34. §. 2. L. 35. §. ult. §. 4. L. 11. §. 2. rer. annot. etsi in recusatione relati secus sit arg. L. fin. de fideic. L. 11. §. fin. cum ll. seqq. rer. annot.* Relatio ejus quod adversarius negavit affirmationem complectitur, utputa si quis emtionem vend. contractam esse neget, eique desuper juramentum ab actore

deferatur, relatio affirmatiue concipitur, ut contractus existentiam mediante Sacramento asseueret, actor, quod in declinatione relati, minime contingit, sed pristina jurisjurando conditio in suo statu relinquatur, denique relatio præstationem jurisjurandi præcise, sub pœna amissionis litis exigit *L. 34. §. fin. de jur. jur.* recusatio delati Sacramenti à præstatione liberat, ejusque delationem annullat, *L. fin. §. 2. C. de reb. cred. & jur. jur.*

§. IV.

Est autem recusatio, alia De- alia juramenti Relati, utraque vel justa, quoties justitia causæ jurisque assistentia, declinationem Sacramenti comprobatur, & injusta seu prætenfa, quæ invita lege, ex colorato quodam prætextu, intenditur, divisio hæc evidens in *L. 12. §. 2. ibi, & judex appellationi præsidens, bene quidem illatum jurisjurandum, non rite autem recusatum pronunciaverit, res secundum quod judicatum est permanebit. Sin autem non rite quidem illatum, recte autem recusatum Sacramentum pronunciaverit &c.* fundamentum habet add. *L. fin. C. de fideic. C. fin. X. de jur. jur.* Prior iterum, aut Temporalis & Dilatoria, quæ recusantem ad tempus eximit *L. 15. de jur. jur.* aut Perpetua & Peremptoria est, quæ penitus à juramenti præstatione liberat *L. 11. §. 1. & 2. C. de reb. cred.* de singulis divisionum propositarum membris, latior infra dicendi occasio, suppeditabitur.

§. V.

Causam recusationis Efficientem, juris non tantum
Roma-

Romani *L. 11. §. 1. & seqq. C. de reb. cred. & jur. jur. L. 5. 6. pen. L. 15. L. 34. §. 26. & seqq. de jur. jur. §. fin. de Fin. deic. hered. & ad Sff. Treb. L. fin. C. de fideic. L. 11. §. 2. ver. annot. &c.* Sed etiam Canonici *C. fin. X. de jur. jur. ac Feudalis arg. f. 33.* dispositio constituit, neque tamen Statuta vel Consuetudines particulares, hinc eliminamus, saepe enim quaedam hic justa censentur, quae in aliis regionibus Lege provinciali, vel moribus injusta reputantur, exemplo Ducatus Magdeburgici, ubi delati in processu executivo jurisjurandi recusatio nulla est, quae tamen in Saxonia regulariter admittitur *Lynck. dec. 600.*

§. VI.

Atque hanc recusandi licentiam, summa aequitatis ratione, à legislatoribus introductam esse, vix quam negare audebit, qui paulo curatius considerat, illud jus Partim naturam rei, quid enim si is cui iuramentum de-vel refertur sit ignarus ejus, quod hac via eruere intendis? quid si immaturum, debile, vel nullum, illius, à quo veritatem explorare cupis, sit iudicium? nunquid ita impossibiles, supervacui penitus & frustranei sunt tui exigentis conatus, itaque iustissime subintrabit recusatio? Partim etiam intemerata jurisjurandi religio, ne facile & promiscue, in futilibus, apertis & liquidis, ad jurisjurandi delationem, quod conscientiosus iudex, omnino quantum possibile est, praecavere debet *L. 8. ibi praetoreni consultissime intervenire debere, id est adhibito sufficienti consilio ff. de condit. inst. ex levitate quadam jung. C. etsi Christus 26. X. de jur. jur.*

jur. recurramus. Partim denique ne jus eligendi ex mero prætextu & sine causa alicui præripiatur, vid. *L. 13. §. fin. verb. petulanter ne jurato ff. de jur. jur.* & nomen Sanctissimi Numinis, repugnante verbo Divino add. *Mat. V.* in vanum ducatur, nisi nos omnia fallunt, efflagitasse videtur. Neque in contrarium movemur effato Pauli in *L. 38.* quando ait: *Manifesta turpitudinis est, nolle jurare, nec juramentum referre* & Ulpiani in *L. 34. §. 7. ibi acquisitissime enim hoc facit, cum non deberet displicere conditio jurisjurandi ei, qui detulerit. ff. de jur. jur.* nam textus, juramentum iuste de & relaturn, utique præsupponunt, laudem enim magis quam vituperium meretur, qui religione, motus ex probabili & legibus approbata causa, à jurejurando abstinet. *L. 8. de cond. inst. L. 21. C. de fid. instr. ex Cothm. V. 2. Conf. 82. n. 87. Lynck. Resp. 188. n. 16.*

§. VII.

Subiectum sunt Personæ quibus de- vel jusjurandum refertur *L. 20. cum seqq. de jur. jur.* quas commentatores ad *tit. de jur. jur.* longo agmine adducunt quos brevitatis studio remittimus, verbo tantum moventes, in rite & cum effectu juris recusantibus, præter habilitatem, etiam ut libera de bonis suis, disponendi facultate gaudeant, desiderari, alioquin consensu vel autoritate eorum, quorum auxilio reguntur, opus erit, jungantur illa, quæ late adduxit Lauterb. in *Diss. de Relat. Furisjur. th. 13. cum seqq.* nam ea quæ ulteriorem limam requirunt, infra suis quæque locis opportunius occurrent.

§. VIII.

§. VIII.

Ad Objectum omnes, super quibus juramentum de-vel refertur, causæ pertinent, vid. *L. 3. §. 1. L. 9. §. 1. L. 11. §. 1. L. 24. L. 30. §. 3. ff. de jur. jur. L. 5. §. 8. L. 13. §. 1. de injur. L. 11. §. 1. seqq. rev. am. &c.* quas item ex Lauterb. Struv. Frantzk. Brunnein, aliisque ad cit. *de jurejur.* titulum, facili negotio addiscere licebit, properandum etenim nobis est, quo primo licitæ, deinde, reculationis illicitæ exempla in medium proferre, præsentemque materiam, ipsis rerum documentis, ostendere queamus.

§. IX.

Quoties itaque licita est de-vel jurisjurandi relatio, toties injusta ejus dicenda recusatio, cumque illa sit, de genere permissorum, utrobique quis, quasi iudex in propria causa constituatur *Carpz. p. 1. C. 15. d. 7. n. 3.* nec quod relationem attinet, conditio jurisjurandi debeat displicere ei, qui derulit, hinc recusatio regulariter tanquam injusta rejicitur, *L. 34. §. 7. & 38. de jur. jur.* & sequentem in modum in Hallsia pronuntiari solet, daß Beklagter Einwendens obnerachtet, auff das ihm deferirte End vel acceptando vel referendo sich zu erklären schuldig und gehalten sey. Imo tanquam in sententia relato expresse reservata non fuerit, facultas tamen referendi, utpote quæ ipso jure competit, ei tacite inest & neutiquam adempta censetur *L. 34. §. 7. L. 38. de jur. L. 9. C. de reb. cred. Laut. in Dissert. de relatione Jurisjurandi §. 9. & 10. in fin. Carpz. p. 2, C. 14. n. 5. Nicol. in proc. p. 1. C. 43. n. 7.*

B

§. X.

§. X.

Iniusta igitur regulariter est delati juramenti recusatio, five ea in Processu Ordinario, five Summario & Executivo fiat; non dubitant quidem Saxones in posteriori casu uno ferme ore contrarium statuere, vid. Struv. *Ex. 17. th. 32.* proque firmamento hujus sententiae tres rationes adducit Carpz. *in p. 1. C. 8. def. 15. §. 31.* Primo quod juramentum sit speciei ordinariae & legitimae probationis, qualis in processu executivo non admittatur, deinde in continenti debeat fieri probatio, ad quem modum juxta Glossam in *L. 30. de jur. jur.* non recte referatur juramentum, & denique hoc, extra processum ordinarium locum non inveniatur; rationem magis plausibilem superaddit Lyrck. *in decis. 600.* quia si reus loco juramenti probationibus defungi vellet, das Gewissen mit Beweiss vertretten, in longum lis protraheretur indeque alteratio naturae processus meruenda foret; Verum haec tanti non sunt, ut nihil iis reponeatur, ad primum enim an speciem legitimae & ordinariae an extraordinariae, probationis juramentum efficiat; adhuc sub iudice lis, & posterius probabilius est, quoties probationis favor id exposcit, nam alias magis revelatio a probando, quam proprie dicta probationis speciei nuncupari meretur. vid. *L. 5. §. 2. ibi quasi probatum & L. 30. verb. exonerare petitorem probandi necessitate, de jur. jur. L. 11. C. de reb. cred. Struv. Ex. 16. th. 14. Gosw. ab Esbach in Not. ad Carpz. p. 1. C. 8. d. 15.* imo si id quod intendit Carpz. ultro ipsi concederemus, inde tamen ad exclusionem juramenti illatio nulla foret, nam probatio per instrumenta utique legitima &

& ordinariā est, & nihilominus ab ipso Carpz. p. 1. C. 8. d. 26. in processu executivo recte admittitur, notum insuper est, quod probare iussus, sententiæ vel Status, juramentum deferendo satisfaciat L. 25. §. 3. de probat. Ad secundum nescio an celerius expeditiusve litium finiendarum remedium, quam juramentum excogitari queat L. 1. de jur. jur. neque hoc tādiosas processus in longum tracti, ambages desiderat, ut itaque nomen probationis incontinenti facta, cum illa intra terminum executivum vel probatorium sufficienter expediri valeat, nullatenus ei denegari possit add. L. 5. §. 2. de jur. jur. & magis litandum est veritati, quam superstitiosa glossatoris alicujus auctoritati: In tertio Carpz. argumento mera est petitio principii, adeoque exinde nihil conficitur: Quartum Lynck. plus ponderis habere videtur, sed & hic in promptu responsio est, videlicet ad probationem pro exoneranda conscientia, creditorem quidem propitio jure admitti reum, non tamen aliis probandi modis, quam qui indoli hujus processus executivi conveniunt, nempe instrumentis & partis adversæ confessione eum uti posse, ceu bene declarat Carpz. p. 1. C. 8. d. 15. & 16. Hinc quicquid in foro Saxonico obtineat, de jure communi recusationem in processu executivo illicitam esse longe verius asseritur: Regula enim L. 38. & L. 34. §. 7. de jur. jur. universalis est & tam diu firma manet, donec exceptio probetur L. 1. de R. 7. pro qua fundanda, ne verbum quidem ex Jurisprudencia Civili aut Canonica adduci potest, imo ex hac posteriori, contrarium non obscure colligitur, hoc ipso enim quo Clem. sepe X. de

V. S. in processu summario delationem jurisjurandi admittit, & executivus inter summarios numeratur Berg. in *Oecon. Jur.* L. 4. tit. 39. per tot. stringens ratio non apparet, cur non idem jus in praesenti quaestione obtinere debeat, hac enim ratione veritas illico patefcit, & multiplicatio litium (foret enim alias novus reconventionis processus instituendus) praecavetur; inopiaque probationis, quando, quod saepe contingit, creditor retento Chirographo, datisque literis castatoriis (vulgo *Mortifications-Schein*, quas reus amittit, debitum ex reperto noviter instrumento guarentigiato iterum exigit, optime hac via consulitur, & vix alias casu ejusmodi eveniente, misero succurrere poterimus debitori, latius sententiam hanc propugnat Brunn. ad L. 38. de *jur. jur.* n. 9. & seqq. jung. Schöpf. in *Synops. jur. priv. Rom. & For. sub tit. de jur. jur.* n. 31. Sand. Dec. *Frij.* L. 1. t. 8. def. 3.

§. XI.

Porro non est justa recusationis causa, quae inde deducitur, quod juramentum ante litem contestatam delatum fuerit. Enim vero post litem contestationem usque ad sententiam delationi locum esse, caret dubio; siquidem ea demum subsecuta, ordinarie probatio locum obtinet, juramenti quoque delationem, quidquid alii velint, certo respectu hoc pertinere jam supra inuimus L. 25. §. 3. ff. de *prob.* Mev. P. 4. D. 6. Fromm. in *D. de jure variandi* n. 408. Lite autem nondum contestata, utrum pars parti juramentum judiciale deferre queat, propterea dubitationem patitur, quoniam ex litem contestatione demum, id quod probandum, appa-

ret,

ret, & antea actor certus non est, quid reus negare, quid confiteri velit; Verum cum dentur exceptiones litis ingressum impediētes, quæ delatione jurisiurandi determinationem accipere possunt, insuper hujusmodi delatio hac tacita nititur conditione, *si pars adversa ea, quæ in libello asseruntur, negaverit*; & hac ratione, inter Sacramenti delationem ejusque præstationem magna differentia existat hinc propositam ab initio sententiam, quam quoque Jus Saxonicum sequitur Carpz. p. 1. C. 12. d. 1. n. 2. verioreni judicamus, eaque totidem ferme verbis in l. 12. pr. ibi: *igitur juramentum, sive à judicialibus sive à partibus illatum, vel in principio litis, vel in medio, vel in ipsa definitiva sententia, sub ipso iudice datur* §. C. de reh. cred. comprobata legitur; Lauterb. cum alleg. in Colleg. Theor. practic. d. tit. de jur. jur. Struv. Ex. 17. th. 32. minus itaque Schöpf. d. t. n. 32. assertum, non aliter quam si iudex probationem injunxerit, delationem jurisiurandi fieri posse, sine juris assententia existimantis, tutum judicamus.

§. XII.

Neque justam Sacramenti delati recusationem personæ mysticæ efficiunt: Etenim toti Collegio vel Universitatibus, imo Collegium Collegio, Universitatibus Universitati juramentum judiciale deferre posse, notius existit Ord. Cam. p. 2. tit. 10. quibus tamen casibus non omnia Collegii vel Universitatis membra jurant, sæpe enim inter eos repertiuntur Advenæ & juvenes, quibus negotium penitus incogitum esse potest, quos ad jusjurandum adigere inhumanum spectat.

reculationem vero eorum, universitati obesse, alienum ab æquitate foret, sed per Syndicum, quod juris communis esse volunt Hahn. ad *Wes. tit. quod quisque Univ. Mev. p. 3. d. 54.* idque facilius admitti potest, si de propria jurent noticia, nam in aliorum animas jurare periculosum & inconueniens est. Universitas enim qualis non habet animam, & singulorum de universitate membrorum notitiam in tali negotio vix exploramus, & quid si tempore præstationis, quidam de communitate, quibus veritas melius quam Syndico perfecta est, absentes & furiosi essent, imò maxima pars Civium sæpe, nequidem litem motam esse scit, numquid tunc horum quoque animas jurejurando ligatas dicere omnino absolum foret; Quamvis itaque Universitas per administratores jurent *L. 97. ad municip.* tamen hi de propria tantum non aliena sententia jurabunt, unde & est, quod ad præstationem jurisjurandi nominatos, pars deferens præcise admittere non teneatur, possunt enim, ut dictum, ea, quorum nomine adhibentur ignorare *Mev. p. 2. d. 54. n. 3.* igitur si suspecti designentur, licitum est parti eos rejicere, & in horum locum è junioribus vel Senioribus, qui meliorem rei manifestandæ notitiam habere creduntur, pro libitu eligere *Ord. Cam. p. 2. n. 10. §.* Würde aber ein Communā &c. *Oldek. de jur. jur. in alt. anim. n. 349. seq.* Brunn. ad *d. l. 97. de cond. & dem.* nullibi verò de J. Rom. juramentum, vel à procuratore, vel à Syndico atque administratoribus, in Principalium, vel aliorum, qui sunt de communitate, animas præstitutum esse invenimus, religio enim jurisjurandi inquit Huber. in *præl. de jur. jur.*

n. 11. *que in conscientia mentis, & conjunctione sermonis consistit non habet facultatem in causa aliena, nec est bonum ludere cum Sacris*, add. *L. 2. §. 3. & 4. item Auth. principales. C. de jur. jur. propt. cal. juramentum quidem delatum à Procuratore vel Civitatis defensore præstitum esse in L. 9. §. pen. de jur. jur. legimus, sed de facto magis, quam de jure, ultro & sua sponte susceptum L. 34. §. 3. de jur. jur. neque ulla ibidem alterius animæ mentis fit. Quare etsi jus Canonicum & mores hodierni jusjurandum in animas aliorum admittant. C. fin. de jur. jur. in 6. Ord. Cam. p. 2. tit. 10. & p. 1. t. 65. seq. R. J. de Ao 1654. §. Ueber dieses 38. §. Würde aber Verdacht 4. tamen juramentum hoc non nisi animas mandantium, ob personalitatem negotii stringere valebit multo minus negotium facessit L. 2. §. 3. C. de jur. jur. propt. cal. instructus enim ibi procurator intellige actoris dicitur, ut in ejus præsentia procurator rei juramentum calumniæ, non in animam defuncti, nam alium hac de re silentium, sed in propriam præstet dist. Ord. Cam. ibi durch deshalb seinen vollmächtigten Anwalt jung. Brunn. ad d. l. 97. cujus ibidem tradita in omnibus nostra non facimus; Struv. Ex. 7. thes. 44. Carpz. P. 1. C. 13. d. 1. & 2. idem in proc. t. 11. art. 2. n. 47. seq. add. omnino Stryck. de Juram. Meletem. V. C. 1. §. 9. seq. Verbo adhuc monendum cum, per quem juramentum præstamus magis nuncii, quam veri procuratoris vice, ob personalissimam hujus negotii naturam, fungi Gosw. ab Esb. in not. ad Carpz. p. 1. C. 12. d. 30. n. 7.*

§. XIII. *div. contr. in som.*

Multo minus inter justas recusationis causas eam, qua

quæ ab infamia deferentis petitur recensēbimus: Ab hac opinione Struv. *Ex. 17. th. 35.* & ab ipso allegat. Carpz. *p. 1. C. 19. d. 6.* ideo recedunt, quia his juramentum referri nequeat: Cum vero infamis transigere valeat, infamia quoque non sit modus amittendi facultatem probandi, & impedimentum relationis non statim impediat delationem, *L. fin. C. de fideic. C. ult. X. de jur. jur. L. 11. §. fin. ver. annot.* Quid enim si juramentum proprium factum ejus, cui defertur, aut factum tertii, cujus notitiam deferens nullam vel minorem quam adversarius habet, respiciat, nonne his in casibus recusatio injusta erit? imo tunc deferens sponte ad jurandum relatum præstandum sese offerens, non erit admittendus, Lauterbach *d. Dissert. de Relatione jurisjurandi §. 72. 77. & 78. ubi rationes elegantes addit,* denique tibi quod Judex quodammodo & testis in propria causa constitutarius sufficere debeat, ut taceam nec dum juris apud omnes expediti esse, an infami relatio fieri nequeat, nam etsi infamis suspectus sit *Can. 17. Caus. 6. Q. 1.* non tamen ob peccatum alterius, innocenti facultatem referendi auferre æquum videtur, & habet quod sibi imputet, qui suspecto credit. vid. *Laut. d. Diss. th. 36. Sect. de jur. jur. L. 4. C. 3. n. 10. seqq.* hinc contrarium verius putamus, nobiscum faciunt Brunnem. *in Process. Civil. C. 23. n. 4.* & *in Comment. ad L. 35. de jurejur. n. 5. seq.* Frantzk. *ad dict. tit. n. 118.* Christin. *V. 3. d. 1. n. 6.* Horn. *in Conf. Cl. 12. L. 26. in f.* Lynck. *in Anal. ad Struv. d. 1. th. 35.* Eadem quæ diximus, æquæ lance ad perjuros, vid. tamen. *C. 14. Caus. 22. Q. 1.* Usurarios manifestos, & Judæos jung. *L. 20. & 21. C. de Hæret.*

Hæret. Mynf. C. 5. O. 6. Lynck. dec. 7. Applicari poterunt; interim multum hic arbitrio prudentis & discreti iudicis relinquendum esse non negaverim Stryck. *de Juram. Meletem. 2. C. 1. §. 17. cum seqq.* addendum denique nec clericos ob ordinem clericatus, imprimis dum in propria causa testimonium dicere jubentur, juramentum recusare & ad promissionem sub fide pastoralis admitti posse *C. 39. & Cap. 51. X. de test. fides* enim pastoralis dependet à fide pastoris, & sæpe sub veste ovili, latet pellis lupina Hahn. *ad Wesf. tit. de test. n. 5. Mev. p. 4. d. 265. n. 9.*

§. XIV.

Injustam quoque pronunciamus recusationem, quæ in eo, quod deferens nihil probaverit, præsidium aliquod quærere satagit, enimvero non ignoramus, in hac questione communem ferme Doctorum sententiam pugnare cum communi, neque Mevius in Decisionibus suis hac in re sibi satis constat v. *P. 6. D. 405. 408. & P. 9. D. 78.* plerique etiam ut pro deferente aliqua ad minimum veritatis præsumptio militet, vel adversarius leviter gravatus sit, ad validitatem delationis omnino prærequirunt, ne scilicet in potestate deferentis sit, juramentis ludere & graves honestosque viros, præter meritum, temerario quodam ausu vexare; Jung. *L. 4. C. de Edend. v. Mascard. de probat. p. 2. Concl. 957. n. 7. Cothmann. p. 2. Respons. 82. cum allegatis. Ruland. de Commissariis P. 4. L. 6. cap. 10. membr. 3. n. 4. Boer. Decif. 95. n. 6.* Verum ut hæc speciosa sint, contrarium tamen in puncto juris rectius sustinebimus

C

id-

idque (1) per *L. 35. pr. ff. de iurejurand.* ibi: *probationibus omnibus deficientibus* (2) per *L. 1. §. 10. C. de iure liberandi*; verb. per *Sacramenta, si alia probationes defecerint.* (3) Et ei quod metuius periculum, per iuramentum calumniae tempestive occurritur, *L. 25. §. 3. ff. de probat. L. 11. §. 1. de act. rer. amot.* imo dum iuramentum deferitur, probatio nondum finita, vel praclusa censetur arg. *L. 5. §. 2. & L. 30. de jur. jur.* ac mediante actuali ejus praestatione, sese à suspicione vulneratae, ut opinamur conscientiae, sufficienter, liberavit, & nisi veritatem hujus sententiae admiseris, innocentissimus saepe sub justissimo Clypeo succumbet, pone enim Titium Cajo amico centum quae mutatus erat, nulla accepta, vel etiam amissa apocha, nullis arbitris adhibitis solvisse, haecque rursus à Cajo peti, fateri Titium quidem mutuum, sed exceptione, uti hodie loquimur solutionis eundem se tueri, desuper autem ei onus probandi à Judice impositum esse, jam deme huic facultatem, superfacta solutione deferendi iuramentum, nunquid ita veritatem suppressimus, malitiis valvas aperiemus, & reum ut bis idem solvat, contra jura adstringemus? Nec quicquam in contrarium movemur *L. 4. C. de Edend.* quoniam commode de iuramento necessario, non judiciali capitur Lynck. *in Anal. ad Struv. cit. loc.* itaque sentiunt Lynck. *dec. 1127. v. Struv. d. Exerc. th. 32. Laut. in trad. Synopt. de juram. §. 5. n. 79. n. 74. seq.* Gontz. *ad cap. 2. de probat.* Interim res in Hassia nostra expedita est, cum per specialem Serenissimi nostri Constitutionem sub dato 28. Dec. 1709. prior sententia sit recepta, & dispositum,

Dnß

daß selbiges so dann erstlich in denen Fürstlichen Judiciis Platz haben sollte, wann der deferens zwar einige scheinbare judicia wieder seinem Gegenheil beygebracht, und erwiesen, solche aber nicht dergestalt beschaffen erkunden worden, daß der Richter ein oder andern Theil, das juramentum purgatorium vel supplementum denen Rechten nach injungiren könne.

§. XV.

Ratione Objecti insuper injusta erit de- vel relativi iuramenti recusatio, quæ in causis civilibus cujuscunque generis, possessorium sive petitorium, persecutionem rei vel pœnæ respiciant, nec non popularibus, criminalibus atque famosis, quoties directo & principaliter, rem vel pœnam pecuniariam etiam fisco applicandam persequimur, contigit *L. 3. §. 1. L. 9. §. 1. & 2. L. 11. §. 1. L. 34. & L. fm. h. l. L. 13. §. 2. L. 28. §. 5. eod.* indemnitatem enim tantum, satisfactionem, pecuniam non famæ jacturam intendimus, etiamsi hæc aliquando per consequentiam, ex ipso pravo gesto, lata sententia sequatur *L. 13. §. 5. de his qui not. infam. §. 2. Inst. de pœn. tem. lit. Brunnem. in proc. civ. c. 23. n. 5. & ad L. 9. de jur. jur. item cent. 4. d. 78. Struv. Synt. J. Civ. Ex. 17. th. 39. ibique Lynck. in Anal. & Resp. 144. n. 23. Lauterb. in tract. Synoptic. §. 5. n. 88. Gail. L. 1. O. 82. Dissentit quidem in Jurisprud. Carpzov. p. 1. c. 12. d. 31. sed suam ipse sententiam meliora edoctus in Decis. Wust. dec. 237. mutavit.*

§. XVI.

Age vero quod in §. præcedenti diximus, exemplis, ex quotidiano rerum usu petitis, plenius illustremus; Ita super rebus rapina, vel furto ablatis, iuramentum iuste delatum esse novimus, *L. 13. §. 2. L. 28. §. 5. L. 28. §. 8. de jur. jur.* quamvis ut verum fateamur, potius super circumstantiis delicti, quam ipsa rapina, & furto, ne quis propriam turpitudinem allegare, & se raptorem atque furem esse respondere cogatur, iuramentum præstetur? *Lynck. Resp. 144. n. 24. seq.* Idem in actione injuriarum ad pœnam pecuniarium tendente in *L. 5. §. 8. de injur.* contra quam vult *Carpzov. in pr. Crim. Qu. 93. num. 67. seq.* constitutum legimus, non enim tam infamiae quam potius pecuniae ratio habetur, ob quam nemo præsumitur pejeraturus, itaque in Facultate Viadrina pronunciari testis est *Brunnem. ad d. L. 5. §. 8. de injur. num. 7. & seq.* Quod actionem ad palinodiam seu recantatoriam, moribus prius introductam, deinde Jure Germanico quoque comprobata *Ord. Cam. p. 2. tit. 28. vers. und sonderlich sehen wir ic.* attinet, non una est nec concors omnium sententia, nam *Carpzov. L. 4. Resp. 44. & Lynck. resol. 86.* recusationem jurisjurandi delati licitam censerunt, idque hæud dubie ob turpitudinem negotii, (etsi famosa non sit *Lauterb. in diff. de relat. jur. jur. th. 69.*) omnino afferunt: Sed pace tantorum virorum, Nos cum *Lauterb. in coll. Theor. pr. de jur. jurando. §. 65.* recusationem illicitam esse arbitramur, principaliter enim, non turpitudinem rei, sed reparationem honoris, qui opinione vulgi amissus & per infamentem recantando restitui

ere-

creditur, respicimus, Struv. *Exerc. 68. th. 61.* quod nec Carpz. abnuit. *in pr. Cr. Qu. 94. n. 50.* cum itaque in actionibus rei persecutoriis indubitato delatio obrineat *L. 3. §. 1. de jur. jur.* ipse quoque Lynck. *in Anal. ad Struv. tit. de jur. jur.* in causis famosis, modo ad poenam corporis afflictivam non tendant, iuramentum admittat, & pro actione injuriarum quæ famosa est. *d. L. 5. §. 8. de injur.* manifeste pugnet, non est ratio cur in recantatoria, quæ non nisi famam gravat, aliud statuamus; jung. tamen Schilt. *prax. Jur. Roman. in for. German. Ex. 23. §. 29.*

§. XVII.

Porro quamvis dolus in ipso libello etiam in causis famosis arguatur, tamen si ad amissionem famæ non directo sed potius ad rei nostræ restitutionem vel ejus quod interest præstationem, indemnitis conservacionem, actus denique gesti annullationem &c. agamus, recusatio jurisjurandi injusta censebitur, *L. 10. C. de reb. cred.* ubi rationes dissent. Carpz. specialiter refutat Brunnem. hinc recusatio illicita in actionibus tutelæ, depositi, mandati itemque pro socio *d. L. 10. cum in iis omnibus transactio locum habeat ideoque & juramenti delatio L. 2. de jur. jur.* cum alleg. Struv. *Ex. 17. thes. 39.* ibique Lynck. *in Anal. idem in Resol. 103.* Brunnem. *in proc. Civ. c. 23.* multo minus reculationem admittemus, si iuramentum emtori ab evincente super dolo in emtione commissio delatum fuerit, nam non omnis dolus infamat *§. pen. Inst. de pen. ten. litig.* Lynck. *resol. 105.* frustranea insuper est iuramenti super spolio delati re-

cusatio, Lynck. *resol.* 103. nec enim interdicta infamant
L. 1. §. 43. de vi & vi arm. Idem de mala fide dicen-
 dum, si super ea detegenda, sacramenti delatio fiat,
 Lynck. *dec.* 463. huc pertinet si super dolo inductivo
 sponsaliorum, ut si sponsa; super jactatis falso à sponso
 divitiis, quibus sponsalia, tanquam conditioni super-
 struantur, ipsi juramentum detulerit, nullitas enim
 hoc modo etiam ex dolo inductivo, ob conditionem
 deficientem inducitur *c. 26. X. de sponsal.* Gerhard. *de*
Conjug. §. 11. Lynck. *resol.* 171. demique ut exemplis
 finem ponamus, non est justa reculationis causa, si
 conjugii vel etiam alii, super testamenti, vi vel dolo,
 concussione aut per importunas sollicitationes, à testa-
 tore facta extorsione, deferatur: Iterum hic nobis cum
 Moller. *III. Semestr. c. 42.* negotium faceffit Carpzov.
§. 3. c. 5. d. 14. eo quod coactio talis coercionem cor-
 poris mereatur, metu juramenti facile hominum judi-
 cia subverti possint, nec relationi locus sit. Verum
 cum hæc causa per se civilis sit, testamentique annulla-
 tionem juramentum deferens, tantum intentet, pro-
 inde prima Carpzov. ratio huc non spectet, secunda
 itidem & tertia nullius momenti sint, vix enim hodie
 tam delicatæ conscientie hominem invenies, qui sola
 religione jurisjurandi, motus, opimam potius heredi-
 tatem deferere, quam sacramentum subire velit, & su-
 pra quoque monuimus, quod delationi præcise con-
 juncta non sit relatio, hinc sententia nostra tutior erit
 quam quoque sequuntur Brunn. *ad L. fin. si quis aliquem*
test. prohib. & Lynck. *decis.* 323. itemque *resol.* 103. sibi
 ipsi contrarius *in dec.* 617. jung. Gosw. ab Esb. *in not. ad*
Carpz. cit. loc. §. XVIII.

§. XVIII.

Illud facile patet, injustam esse heredis aut legatarii recusationem, si ei, super facto à testatore, aut in genere per ultimam voluntatem, vel etiam ab intestato decedentem, sibi remotis testibus demandato, jusjurandum deferatur, sive is fidem de præstando commissum, testatori dederit, sive non, *L. fin. C. de fideicommiss.* quem textum B. Harppr. speciali Dissertatione enucleavit, & §. *fin. Instit. de fideic. hered. Et ad Sc. Treb.* facile enim alias & sæpius pia disponentis voluntas eluderetur, & fraudibus impiisque veritatis occultationibus, janua panderetur, frustra etiam testes requiris, cum tibi soli, & præter te nulli, intentio decedentis, cognita existat; Unde recte inferimus, nec relatum à referente recusari posse, si hic quoque eorum quæ à testatore vel in genere per ultimam voluntatem disponente injuncta sunt, notitiam habeat, prædictæ enim tunc rationes cessant, & non juste præstare declinat, quod ab alio, juramentum, exigit *L. 34. §. 7. de jur. jur.* Laut. in *Dissert. de relat. jurisjur. th. 82. seq.* Lynck. *dec. 269.*

§. XIX.

Etiam eam; quæ ideo fit, quod præceptum de solvendo Judex dederit, injustam vocabimus recusationem Lynck. *dec. 665.* Vere omnino, quia eiusmodi decreta comminationes & Epistolæ, sine sufficienti causæ cognitione, ad instantiam unius partis emanatæ, vires rei iudicatæ minime nanciscuntur, *tt. C. Commin. Ep. progr. subscr. aut. rei jud. non hab.* sed legitimis modis im-

impugnari queunt. Struv. *Ex. 44. th. 12.* idque ampliat Mev. quamvis eiusmodi decreta sæpius fuerint reiterata, repetitio enim iussus, defectum antecedentis, convalidare nequit, sed eodem quo prior, vitio laborat. *p. 1. dec. 129.* Denique minus recte iusta reculationis causa, inde deducitur, quod iuramentum, in secunda vel tertia appellationis instantia, prius delatum fuerit, gaudet siquidem appellans beneficio, *L. 4. C. de temp. app.* non deducta deducam, & non probata probabo, proinde sicut in secunda vel tertia instantia, alia & nova probatio admittitur, *d. L. 4. C. de temp. appell. & L. fin. C. de test.* (nam *Nov. 90. C. 4.* quæ contrarium suadere videtur, de prima, non de secunda appellationis instantia, loquitur:) ita & ad jurisjurandi delationem convolare licebit, cum probationis veritatis explorandæ gratia inventæ, non coangustandæ, sed potius ampliandæ sint, & post appellationem, causa in illum statum, in quo fuit tempore litis contestatæ, reducatur, *L. 13. C. de proc.* quod post *Recess. Imp. de A. 1654. §. wie ebenmäßsig 68.* minus dubii habere viderur, diserte enim inibi dispositum legimus, daß in dieser (subaudi ander) Instanz nicht allein nach Ausweis, gemein beschriebenen Rechten, was in priori instantia nicht vorkommen, oder deducirt werden, de novo zu deduciren und zu beweisen, sondern auch was in voriger Instanz allbereit vorgebracht, ferner und besser zu erweisen verstattet werden solle, junge *Mynf. C. 1. O. 41. Mev. d. P. 4. D. 5. Brunnem. ad L. 38. ff. de iurejurand. n. 7.* modo dicta de appellatione à definitiva non ab interlocutoria intelligimus, quo-

quoniam ea ex prioribus actis justificari debet R. deput. de Ao. 1600. §. Nachdemnach Blum. p. C. t. 48. n. 33. Tantum de illicita juramenti recusatione in presentiarum dixisse sufficiat, tempus est ut precipuum hujus materiae caput, quod licitam sacramenti recusationem respicit, aggrediamur, & quoad possibile est brevissimis expediamus.

§. XX.

Ut vero tanto tutius, hac in re servato juris ordine procedamus, Regulam supra in §. 9. positam invertere, & sequentem in modum statuere liber: Quoties de- vel relatio est injusta toties juramenti recusatio est licita. C. fin. X. de jur. jur. L. 35. in fin. & L. 15. de jur. jur. L. fin. C. de fideic. L. 12. C. de reb. cred. & jur. L. 11. in fin. rer. amot. eaque variis in jure expressis modis contingit, & quidem I. intuitu Subjecti Activi seu personae deferentis, tum; vel ob ejus inhabilitatem, veluti si pupillus vel minor sine tutoris Curatorisve autoritate aut consensu, vel ob defectum potestatis, puta si is qui libera administrandi facultate destituitur, juramentum detulerit. L. 17. §. 1. L. 35. §. 1. de jur. jur. adeoque in L. 9. §. 4. eod. delationem legitime seu consentiente curatore factam esse, omnino praesupponitur, quamvis alii textum de minore curatorem non habente, ut tunc delatio sustineatur, & laesus tantum restitutionem in integrum impetrare queat, intelligi velint Hub. in *præl. ad tit. de jur. jur. reg.*
D qua

qua de interpretatione propterea dubito, quia notum est, quod minor sine curatore in iudicio stare nequeat; *tt. C. qui leg. pers. St. in iud.* igitur de facto tantum non de jure jusjurandum deferret. Ceterum illud facile advertimus, reculationem hanc tantum temporalem & dilatoriam non perpetuam & peremptoriam esse, hoc ipso enim quo ex minorennis majorennis effectus, impedimentum sublatum, vel illi consentiunt quorum consilio reguntur, recufatio, nisi aliud quid subsit injusta evadet. *L. 17. §. 2. & de jur. jur. l. 34. §. 1. cod.*

§. XXI.

Aut H. ob deferentis culpam & contumaciam, si vel citatus contumaciter non comparuerit, vel de calumnia ad partis petitionem jurare nolit, *L. 34. §. 4. L. 37. de jur. jur.* pessimæ enim causæ indicium est, si quis alii jurandi conditionem imponat & ipse quod jura ab eo vicissim desiderant, evitare conetur; *d. L. 34. §. 4. §. 7. de jur. jur.* proinde in poenam emanentis neque jurare volentis, acceptatum pro præstito uti vult *Lynck. dec. 1273.* vel potius ex mente *Carpz. per C. 7. X. de pign. & L. 37. de jur. jur.* pro remissio in *Jur. prud. p. 1. C. 12. d. 29. n. 4. Lauterb. in tract. Synon. tit. de jur. jur. §. 5. n. 78. in fin.* ac illud declinans, pro confessio habetur, *L. 12. §. 2. C. de reb. cred. Struv. Ex. 17. th. 33.* ipseque tanquam temerarius litigator restitutionem expensarum non effugiet *L. 2. §. 6. Auth. principales §. 5.*

§. 5. C. de jur. propt. cal. Gosw. ab Esb. in not. ad Carpz. d. l. ubi ex Brunnem. ad L. 2. §. 7. C. de jur. propt. cal. & Gail. 1. O. 86. non ipso jure hanc poenam committi, adeoque ante judicis sententiam moram purgari posse, nec si ante eam decesserit heredem teneri, Blum. in proc. Cam. tit. 72. n. 14. insuper innuit. Cæterum hodie præstatio hujus juramenti non amplius necessitatis est, sed ab arbitrio discreti judicis, qui pro re nata, deficiente suspitione, aut justitia delationis apparente, illud plane remittere potest, ut abusus tollatur, & ne quis supervacuis juramenti vexetur dependet. R. F. de Ao. 1654. §. über dießes verordnen 43. Brunn. in prop. Civ. C. n. 6. Mev. p. 4. dec. 164. Rhetz. in Inst. Jur. publ. L. 4. t. 15. §. 12. Sane parentes atque patroni Romanis semper sancti fuerunt, neque reverentia his personis debita, ut ab his juramentum calumniæ exigere, unquam admittit: L. 16. in fin. de jur. jur. L. 7. §. 3. de obseq. par. & patr. præst. L. 8. §. 5. qui satisd. cog. idque etiam in domino & vasallo 2. f. 33. §. 1. Principe cum suis subditis litigante, illiusque consiliariis procedere docit, R. F. nov. §. über dießes verordnen wir Mev. p. 3. d. 278. Brunnem. ad L. 16. de jur. jur. si scilicet pro Domino, secus si in causa propria deferant, Mev. p. 5. d. 258. Nicol. in proc. Jud. p. 1. C. 39. n. 12. Hic crucem nobis figit Ulpianus in L. 34 §. 4. verb. Hoc jurisjurandum de calumnia neque patrono, neque parentibus remittitur ff. de jur. jur. varias Jctorum opiniones, quorum maxima pars, inter quos Struv. Ex. 17. th. 73. ex lib. Βασίλειον textum corrigunt & pro id neque le-

gunt *æque*, alii nescio quodnam genus juramenti calumniæ antiquitus usitatum, somniant, in præsentiarum non moramur, simpliciter dicemus *non remittitur*, idem significare quod *non defertur* L. un. C. si quis Imp. maled. ita omnis difficultas cessat & conveniens in legibus harmonia servatur.

§. XXII.

Licita III. est recusatio ratione subiecti passivi, seu ejus cui defertur, ita delatum sibi judiciale juramentum recte recusat pupillus (nam L. 26. de jur. jur. de juramento voluntario eoque de facto suscepto communiter intelligunt DD.) idque debilitas judicii, Religio & gravitas negotii, effecisse videntur L. 34. §. 2. de jur. jur. & quamvis Schöpf. invitum quidem pupillum ad jurandum non cogi, volentem vero admitti velit in *Synops. Jur. sub tit. de jur. jur. n. 27.* melius tamen cum Struv. contrarium statuimus arg. C. 1. *Caus. 4. Q. 3.* vix enim tam tenera ætas, debitam tanto Numini reverentiam qualis in præstando juramento exigitur, sufficienter capit, Struv. *Ex. 17. th. 16.* sed & hæc, uti patet temporalis recusationis species est, juramenti enim præstatio usque ad pubertatem differtur Schöpf. *d. l. Carpz. in proc. tit. 11. art. 2. n. 14. seqq.* Lauterb. in *tract. Syn. d. t. §. 5. n. 88.*

§. XXIII.

§. XXIII.

Huc spectant IV. Procuratores & defensores, hi namque delatum sibi juramentum valide recusant, possunt enim probabilem facti alieni ignorantiam allegare, & grave foret ob commodum alterius anceps perjurii periculum incurrere. *L. 34. §. 3. de jur. jur.* potest etiam illi jure suo non uti & conditionem jurisjurandi acceptare, quo casu si de propria scientia juraverint, id principali prodest, *L. 9. §. pen. & L. 42. h. t. Brunn. ad L. 34. de jur. jur. n. 3. & 4.* Idem V. in tutoribus, curatoribus, VI. Rectore Academiae, Curatore Civitatis, Syndicis, Oeconomis &c. statuemus, scil. ut inviti ad jurandum compelli nequeant. *arg. L. 4. de in lit. jur. & d. L. 34. §. 3. de jur. jur. Zoëf. in comm. ad tit. de jur. jur. n. 23. Lauterb. d. num. 88. Peretz. ad Cod. tit. de reb. cred. n. 12. seqq.* nisi hi juramentum parti adversae detulerint, ipsisque relatio facta fuerit, tunc enim recusationem injustam esse volunt DD. *arg. L. 34. §. 7. de jur. jur. L. 12. §. 2. C. de reb. cred. Carpz. p. 1. C. 14. d. 13.* quod tunc procedere autumamus, quando personae supra memoratae notitiam rei habent, vel de credulitate jurant, tunc enim super facto alieno etiam delatio admittitur. *Mevius p. 1. d. 161. Brunnem. ad L. 35. num. 1. seqq. de jur. jur.* recusat quoque VII. heres, si ei super facto defuncti deferatur, quippe quod ignorare potest, *L. 11. §. 2. rer. amos. L. 12. C. de reb. cred. 19. & 42. de R. J.* nisi itidem super credulitate ipsi deferatur, vel tempus ipsi congruum concedatur; intra

quod se ex documentis hereditariis informare queat. Struv. *Ex. 17. thes. 36.* Lynck, *dec. 583. 872. 756.* § 981. Lauterb. *n. 83.* B. D. Cancell. Hert. *L. 1. Parcem.* 34. prædicta ad omnes, qui facti sibi sub juramento commissi ignorantiam habent, juste applicantur, *L. 11. §. 2. rer. amot.*

§. XXIV.

Recusatio licita est VIII. ob defectum Fori, puta si quis nequeat ibi conveniri ubi delatio fit, vel Judex incompetens sit ad quem jurandi causa vocatus est, uti exemplo legatorum etiam provincialium comprobatur, *L. 35. §. fin. de jur. jur.* Hub. *in præl. tit. n. 11. de jur. jur.* quod ad omnes qui jus revocandi domum habent, merito extendimus, *L. 2. §. 2. seqq. de Judic.* vid. Gilhauf. *in Arbor. Judic. C. 1. p. 1. §. 5.* quæ recusatio non perpetua sed temporalis est, si enim coram ordinario vel competente iudice reus conveniatur, tum aut juramentum præstabit, aut juris censuram nullatenus evitabit,

§. XXV.

Simili plane modo licita erit IX. recusatio temporalis ratione Loci, si ab egregiis vel illustribus personis præstatio juramenti in iudicio præcise exigatur, id enim privilegii habent, ut coram Commissario domum misso, vel coram Iudice in ædibus ipsarum comparente, non necessario in loco iudicis licet

licet obstrepat Prætor, Sacramentum dicere possint. *L. 15. de jur. jur.* idque adhuc in Germania obtinere ex traditis, *Lynck. dec. 359. & Resol. 72.* colligimus: Quam autem nomine egregiarum personarum veniant ex *Ruland. de Commiss. & Commiss. p. 2. L. 2. C. 5. & Menoch. de A. F. Q. Cas. 70.* patescit Consiliarios principum hoc beneficio adhuc frui, *Mev. p. 4. d. 238. & Brunn. ad d. L. 15. n. 4.* docent. Idem privilegium honestis matrimonii, & feminis personarum in dignitate positarum, nec non monialibus tributum esse legimus, *Cap. 2. de Judic. in 6.* pudor enim & verecundia tales in publico comparere prohibet; necessitas quoque ut puta senium, paupertas, si sine dedecore quis in iudicio comparere nequeat, vel absentia, hoc jus ad alios aliquando extendit, *Nov. 124. Cap. 1. vers. Si autem Brunn. ad d. L. 15. de jur. jur.* Missio autem, si credimus *Rurg. Rul. de C. & C. p. 2. L. 2. C. 3.* fit sumtibus juramentum deferentis, exemplo testium, cum hoc modo probare velit juramentum exigens, quod sequitur *Sichard. ad L. 12. §. 2. n. 10. seq.* Alii privilegiatum ne is sit aliis oneri ad sumtus hos teneri statuunt *Bercholt. de jur. jur. C. 4. n. 18. Men. de A. F. Q. Cas. 228. n. 11. Matth. de Afflict. d. 177. n. 1.* Alii denique id arbitrio iudicis, ad commodum vel incommodum ex juramento in aliquem redundans respicientis, committunt *Hortom. Dissp. ad ff. 22. th. 33. jung. Sich. d. l. n. 9.*

§. XXVI.

Delatio X. in Causis Criminalibus, in quibus ad poenam Corporalem vel Capitalem agitur injusta, adeoque recusatio jure licita erit; neque enim reus Accusatori, cum potestatem in membra sua non habeat, *L. 13. ad L. Aquil.* & absolum fit ad unius hominis effatum, utut juratum, hominem condemnari, *arg. L. fin. C. de probat.* aut vicissim Accusator reo, ob evidentissimum perjurii periculum, & quia privatus in præjudicium fisci, inquisitum, ad Judicem & testem in propria causa legitimare nequit, accedit, quod alias quilibet se latronem, Assassinum, proditorem &c. nominare, itaque propriam turpitudinem allegare cogeretur; vid. Brunn. *in proc. Civ. C. 3. n. 5.* & ad *L. 34. n. 27. de jur. jur.* Schæpf. *ad tit. de jur. jur. n. 29.* Lauterb. cum alleg. *in tract. Synopt. de jur. jur. n. 81.* Lynck. *in Anal. ad Synt. Struv. de jur. jur. th. 40.* Dissent. Brunn. *ad L. 9. de jur. jur. n. 21.* putatque accusatorem reo deferre posse jusjurandum in poena capitali, quoties non subest metus gravis perjurii, quod non capio, is enim nunquam non subesse potest: Interim hæc non impediunt quo minus reus accusatori, super exceptione proposita, V. g. se tempore delicti commissi alibi fuisse, juramentum deferre queat, Carpz. *L. 3. R. 45. n. 22. seq. Struv. Ex. 17. th. 39.* Schæpf. *d. l. n. 30.* Brunnem. *ad L. 9. n. 22. de jur. jur.* Unde etsi supra in §. 14. delationem jurisjurandi in Civilibus & criminalibus quando nulla subest poena corporis afflictiva, Fab.

Fab. in Cod. L. 4. t. 1. d. 43. nulla etiam pro deferente probatione vel praesumptione militante, admiserimus, tamen quoties omnia indicia deficiunt, vix aut ne vix, in causa stupri, nisi aliud quid concurrat delationem iuramenti judicialis admittemus, iuvabit hic audire Lynck. in dec. 1127. ibi: Dahero, als Thais, eine geschwächte Dirne, dem Juventio den Eynd, super stupro, deferirte, da sie nicht das geringste von Judiciis wider ihn anzubringen wuste, hat man solcher Eydes-Delation nicht Statt gegeben; nicht deswegen, quod jurare non debeat cogi, adversus quem nil probatum, nec qui praesumptionibus gravatus fuit, wie einige wollen, ic. sondern weil in solchen Delictis; welche den Beklagten härter, dann etwa, das er zum Injurianten gemacht wird, drücken würden, die perjuria seines Theils meistens zu befahren, auf Seiten aber des Klagenden, wann schon derselbe zum Juramento calumniae verbunden ist, dennoch derselbe ebenwol darzu sich oft entschliessen mögte, um den Reum in die größte Beschwerung und Ungelegenheit zu bringen: Idem in Decis. 173. verb. All-dieweil aber doch die Beschuldigung der Schwängerung viel nach sich ziehet, und so schlechter dings nicht zuzulassen, das ein Weibes-Bild jemanden angebe, und ihn mit Zuschreibung des Eydes beschwehre; Mas- sen solcher Gestalt der unschuldigste und ehrlichste Mann in höchsten Schimpff gesetzt werden könnte, ic. ad Mey. p. 3. dec. 73. Sand, decis. Fris. L. 1. t. 10. d. 2.

XXVII.

Illud XI. notari meretur, quod deferenti Acto-
ri juramentum in actione turpi vel famosa, hoc à
reo minime referri queat, quod exemplo furti &
rerum amotarum edocemur in *L. 11. §. fin. L. 12. §.*
13. rer. amotar. Cap. fin. X. de jur. jur. cujus ratio, uti
autumant communiter DD. non tam in eo, quod
reus optime veritatem delicti à se commissi, scire
præsumat, quid enim si conjux vel Actor rem
à Conjuge amotam, vel furtum à Reo commissum
esse vidisset? Sed potius in odio jurare recusant-
ium, dum juramentum quo mediante famam,
præstantissimum hominis bonum, servare possunt,
super facto proprio delatum præstare recusant, con-
sistere videtur. Adeoque jurare detrectantes, vulne-
rata omnino conscientia rei esse creduntur, late
Lauterb. in *Diss. de relat. jurisjur. th. 63. §. seqq.*

§. XXVIII.

Et quia causa matrimonialis similis criminali ha-
betur, hinc XII. ex communi DD. sententia jusju-
randum quidem pro matrimonio admittitur, sed si
reo illud contractum esse neganti de-vel referatur,
licitam hujus recusationem prædicant, rationem
prioris in consensu quasi noviter per delationem de-
clarato, posterioris, tum in causæ gravitate, tum in
vetita transactione, ne in potestate partium sicum sit,
in spiritualibus, sibi arbitrium sumere & vinculum in-

indissolubile privata autoritate dirimere, ponentes. Struv. *Ex. 17. th. 39.* ubique Lynck. *in Anal.* Huber. *in pr. el. de jur. jur. n. 8.* Gail. *L. 2. O. 34.* Carpz. *in Jurispr. Consist. L. 3. def. 44. & L. 5. R. 24.* Lauterb. *in tr. Syn. d. l. §. 4. n. 68. & §. 5. n. 83.* Et quamvis his reponi possit, quod gravitas, uti bene advertit. Lynck. nullum huic sententiæ momentum afferat, maxime cum etiam in criminalibus delationem jurisjurandi concefferimus, nec, dum præstationem jurisjurandi, semper judicis sententia interlocutoria præcedit, negotium hoc à libera partium voluntate, penitus dependere dici queat, alia quoque ratio transactionis, quæ unice transigentes respicit, alia hujus juramenti sit, in quo respectus ad Judicem habetur, insuper quod auctori conceditur reo denegandum esse non videatur, quæque alia pro stabilienda Brunn. dissentientis opinionè in *L. 9. n. 26. de jur. jur.* in medium produci possent, prior tamen in praxi obtinuit, uti notat. Horn. *in Consult. Cl. 3. R. 10.*

§. XXIX.

Nec minus XIII. licitam vocabimus recusationem quando formula, sub qua jurisjurandi delatio fit, improbara Religionis est, & salva pietate ac honestate præstari nequit, cum enim ejusmodi juramenti præstatio nulla reputetur, multo magis illud declinare licebit, *L. 5. §. pen. de jur. jur.* Hub. *in pr. el. de jur. jur. n. 11.* Lauterb. *in tract. Synopt. de jur. jur. num. 83.* ut putata si quis per Deaestros, Creaturas, Sanctos, aut An-

gelos jurare jussus fuerit, nam obtestationes, seu formulas Civiles, quas in sacris literis sæpe invenimus, utique à juramentis merito discernimus, late Struv. in *Ex. 17. thes. 5.* Schilt. in *Manuduct. philosoph. Moral. C. 2. §. 17. seq.* alias si in formula vel qualitate jurisjurandi, partes convenire nequeant, eam determinabit Judex; *L. 34. §. 5. de jur. jur. Carpz. in process. t. 11. Art. 3. n. 110. §. 118. Brunnem. ad L. 34. de jur. jur.*

XXX.

Licite XIV. recusat is, qui alio, quam per juramentum modo, probare cupit. Vulgo dicimus, das Gewissen mit Beweis vertreten. Quacunque enim ratione Judici fides fiat, vel hic in assensum trahatur, perinde erit, finemque probationis nos affectos esse sufficit *arg. L. 3. §. 1. de test. facit*, quod jusjurandum non nisi subsidiarium probandi medium constituat, *C. 2. X. de probat. & ad ordinariam viam, quæ per instrumenta & testes monstratur, facilius detur recursus, neque una aliam præcludat vid. §. 10. Struv. Ex. 17. th. 33. Carpz. p. 1. C. 14. Brunn. ad L. 30. de jur. jur. n. 3. §. 10. Lynck. dec. 323 §. 617.* Cæterum qui conscientiam aliis probationibus liberare & victoriam reportare vult, intentionem suam ut plene probet necesse habet. *Brunneman. Cent. 2. d. 27.* Interim si præter spem in probatione defecerit, pristina adhuc libertate ad juramentum recurrenti gaudebit, sed illud referre nequit. *Struvius d.l. Andreas Rauchbar. p. 2. quæst. 3. n. 24. Coler. p. 1. d. 123. n. 122.*
Lynck.

Lynck. *resol.* 692. deferens autem si ei referatur, intentionem suam probationibus defendere, & viam semel electam deferere non poterit Brunn. *ad L.* 34. *de jur. jur. n.* 19. quamvis idem Autor, hac de re *ad L.* 30. *d. t. n.* 10. *§* 11. dubitet.

§. XXXI.

Et si alias creditor debitori, qui mediante Chirographo, se mutuam pecuniam accepisse fassus est, intra biennium super numeratione negata, valide iuramentum deferat, *Nov. 18. c. 7. Struv. Ex. 16. th. 59.* elapso tamen biennio id creditor XV. recte recusat *L. 14. §. 1. C. de non num. pec.* nam in puncto juris, cum scriptura constituat obligationem, & omnimoda securitas creditori per lapsum bienni tribuatur, nequidem debitor, ad numerationem sibi minime factam esse, probare volens, auditur Vinn. *in Comm. ad Inst. tit. de Oblig. § in Sel. Quest. Q. 41.* quamvis contrarium praxis servet *Struv. d. l. th. 50. & Brunnem. ad L. 14. C. de non num. pec.* Pari modo XVI. si debitori, apocham ultra triginta dies quiete possidenti id deferatur, is delatum sibi Sacramentum recusat *L. 14. §. 2. seqq. C. de non num. pec. Lynck. d. 523. Sand. L. 1. dec. Fris. t. 11. def. 1.*

§. XXXII.

Iusta est XVII. iuramenti recusatio, quoties dispositione Statuti, non nisi per testes vel instrumen-

ta probare licet Lauterb. *in tract. Synopt. de jur. jur. §. 5. n. 83.* licet alias statutum generaliter exigens probationem juramentum non excludat Mev. *p. 4. d. 6.* vel in casu legis diffamari, ubi diffamatio per testes aut instrumenta probari debet, versamur, Carpzov. *in process. tit. 11. art. 3. num. 3.* Gail. *L. 1. O. 10. n. 7.* vel denique ex pacto quis probare tenetur Mev. *p. 5. dec. 17.* Brunnem. *ad L. 30. in fin. de jur. jur.*

§. XXXIII.

Porro licita erit XVIII. recusatio, si delatum juramentum revocatum, rursus deferatur, idque odio variationis, quæ levitatis suspicionem præbet, constitutum videtur. *L. 11. C. de reb. credit. Et jure jurand. ibi: Satis enim absurdum est redire ad hoc, cui renunciandum putavit, Et cum desperavit aliam probationem, tunc denuo ad religionem convolare.* Brunnem. *ad d. l. n. 2.* Struv. *Ex. 17. th. 33.* & sibi imputet, qui pro novo beneficio vetus eligit gravamen. Mev. *p. 3. d. 201.* Et *in not. n. 5.* libera autem juramentum revocandi facultas, ad finem litis usque integra erit, modo neque acceptatum. Brunn. *d. l. n. 7.* Et *seq.* neque relatum fit, Mevius *D. d. num. 3.* nam cum adversario exinde jus quæsitum, utrumque, viam mutandi præcludit Mev. *p. 2. d. 93.* & Lauterb. *Disp. de Relat. jurisjur. §. 102.* Brunnem. *in proc. C. 23. n. 12:* nisi acceptatio fuerit conditionalis, puta ea conditione facta, si juramentum in hac causa deferri queat Mev. *p. 6. d. 167.* Lynck. *dec. 1.* vel si pars adversa super formula & qua-

qualitate delationis disceptet *L. 34. §. 5. de jur. jur.* Lynck. *resol. 89. Mev. p. 3. d. 201. & p. 4. d. 296.* aut denique nova documenta inveniatur, per indirectum periculum perjurii ostentando, *Mev. p. 2. d. 93. Lynck. dec. 1. Horn. in Consult. Cl. 12. R. 29. & Brunn. ad L. 11. n. 7. C. de reb. cred. Lauterb. de relat. jur. §. 102. in fin. & §. 103. in fin.* Illud adhuc monendum, licet post revocationem juramenti judicialis, delatio amplius fieri nequeat, judicem tamen, si inter probationes, quod reum gravibus præsumptionibus onerat, reperitur, ei juramentum purgatorium injungere posse. *Mev. p. 6. d. 147.*

§. XXXIV.

Illud sufficienter patet, licitam esse XIX. juramenti recusationem, si ille cui delatum est, intentionem suam plene probaverit. *Cap. 2. X. de probation. Mevius p. 3. d. 260. & p. 6. d. 166.* quoniam, cum tunc plena fides facta fuerit, Judici, supervacua erit religio, quam jura non immerito in vitio collocant, *arg. L. 8. de cond. Inst.* Huc spectat XX. quod si semel juratum fuerit & rursus idem juramentum deferatur, id recte recusetur, superflua enim, ob jus jam tum per præstationem primam sublatum, omnino foret præstatio *L. 18. de jur. jur. Hub. d. l. n. 11.*

§. XXXV.

Eo XXI. pertinere videtur, quod post rem judicatam, vel litem mediante transactione finitam, non
am-

amplius delationi jurisjurandi locus sit, sed hoc valide recusari queat, nam tunc nullum amplius Judici dubium subest, quia judicatum pro veritate habetur *L. 25. de Stat hom.* nec an debitum, sed solum an desuper transactum sit, quærimus *L. 65. §. 1. de cond. ind. Mev. p. 3. d. 260.* quæque de juramento diximus, huc commode applicari poterunt, *arg. L. 2. de jur. jur. facit*, quod in quibus causis quis non tenetur suscipere iudicium, in iis quoque non sit locus delationi *L. 28. de jur. jur.* Id quod tamen notabiliter declarandum esse existimamus, ut quidem super antiqua præensione, quæstio nulla moveri, multo minus desuper ad eludendum transactionem vel judicatum, juramentum deferri queat, solum enim queritur an transactum sit (modo transactio non sit calumniosa) non vero an aliquid debeat *d. l. 65. §. 2 de cond. ind. junct. L. 5. §. 2. de jur. jur.* interim tamen si super exceptione V. G. solutionis aut compensationis, vel etiam super qualitate monetæ solvendæ, aut instrumenti transactionis intellectu, dubium oriatur, quin tunc ad explorandam veritatem juramentum adhiberi queat, nulli dubitamus, *Lynck. resol. 692.* sciunt enim transigentes optime, quid inter ipsos placuerit, quod Judex ex scriptura dubiose vel concise concepta, sepe eruere nequit, & vix alias partibus satis consultum erit, aut fides prætori, ad ferendam sententiam idonea, fieri poterit. *L. 25. §. 3. de probat. jung. Brunn. ad L. 38. n. 3. seq. de jur. iur.*

§. XXXVI.

Insuper XXII. si super puncto irrelevante, seu ad decisionem causæ in judicium deductæ, nihil contribuyente, juramentum deferatur, illud juste recusabitur, quæ enim probata non relevant, ea ad probandum non admittit Judex *L. 21. de probat.* Dei enim nomen alias in vanum & in cassum, contra mentem Christi Matth. 5. v. 34. adhiberetur, ponderandum & hoc, quod ubi necessitas nulla urget, ibi à juramenti abstinentum *Cap. 26. X. de jur. vid. Carpz. in process. tit. 11. Art. 2. num. 22. & seq. Horn. in Consult. Cl. 12. Resol. 106.*

§. XXXVII.

Denique XXIII. si delatio fuerit captiosa, recusationi locus erit, alias enim, iniquitatibus & calliditati litigantium via aperiretur, quibus tamen, quantum possibile est, Judex tempestive occurrere debet, *præm. Inst. in pr.* Hinc juramentum deferens super mutuo, si reus solutionem opponat, non auditur, nisi simul super solutione delatum fuerit, *Schilter. Ex. 23. §. 69. in Corollariis.*

§. XXXVIII.

Debet vero recusatio jurisjurandi fieri (a) ante ejus susceptionem, nam eo semel suscepto (præsupposita tamen habilitate subiecti & objecti) postmodum

F

modum

modum pœnitere & alium probandi modum, cui per acceptationem liberam quis tacite renunciavit, eligere nequit *cap. quod semel de R. J. in 6. Brunni. ad L. 30. de jur. jur. n. 93. Carpz. p. 1. C. 14. d. 3. nisi conditionata fuerit susceptio Mev. p. 6. d. 167. plures exceptiones supri §. 33. tradidimus. (b) Apud Judicem, coram quo lis ventilatur L. 12. pr. ibi sub ipso Judice C. de reb. cred. nulla itaque erit recusatio, si quis parti privatim aperiat causas, cur jurare non teneatur (c) in Judicio Judice præsente, cujus rationem reddit Brunnem. ad L. 12. n. 7. C. de reb. cred. C. fin. X. de jur. jur. non igitur sufficit, extra locum Judicii rationes suæ declinationes exposuisse, arg. L. pen. de J. & J. & in eo quoque Judiciale à voluntario juramento differt. L. 17. de jur. jur. & quidem (d) Jure Romano incontinenti, post factam de-vel jurisjurandi relationem L. fin. de jur. jur. hodie intra tempus arbitrarium, à Judice declarationi vel jurisjurandi præstationi, præfinitum Schilt. *Ex. ad pand. 23. §. 25. seqq.* pars recusans (e) causas pro re nata legitime probet arg. L. 2. de prob. Judex (f) non tantum in veritatem, sed etiam earum justiciam sedulo & debita cum diligentia inquireat, denique (g) num vera & justa an tantum prætexta & injusta dicenda recusatio; mediante sententia interlocutoria determinet. L. 12. §. 1. seqq. C. de reb. cred. ibique Brunni. ubi notandum posse eum cui approbante Judice defertur juramentum, à sententia appellare, non vero regulariter, cui deferenti refertur d. l. 12. §. 1. seqq. C. de reb. cred. disi regulariter, nam ipsa*

ipsa æquitatis ratio, & exceptionem. Si vel natura rei vid. *Cap. fin. X. de recas. L. 11. §. fin. L. 12. §. 13. rer. annot.* vel ignorantia, deferentis, relationem non admittat *L. fin. C. de fideic. hered. Et ad Sc. Treb. tacente etiam d. l. L. 12. §. 1. C. de reb. cred.* approbare videtur *Sichard. ad d. l. 12. §. 1. n. 3. seqq.* observandum & hoc neminem in pœnam non jurantis recte condemnari, antequam super ipsa causa, legitime pronunciatum fuerit à judice *Mev. p. 6. d. 165.*

§. XXXIX.

Effectus, illicite juramentum recusantis, in eo consistit, quod pro confesso vel convicto habeatur, si itaque reus fuerit, condemnatio, si actor, rei absolutio subsequitur, *L. 34. §. 6. §. ult. L. 38. de jur. jur. L. 9. C. de reb. cred. Laut. in Coll. Th. pr. tit. de jur. jur. §. 67. Brunn. ad L. 12. n. 18. seqq. C. de reb. cred.* proinde actori recusanti denegatur actio, *L. 9. de jur. jur. reo, exceptio rei judicatae datur, si vero reus relatum, injuste recuset, ipse condemnatur, tanquam si actor juramentum sibi delatum præstitisset, L. 12. §. 1. ibi: necessitate ei imponenda cui jure refertur relationis juramentum subire, vel si hoc recusaverit, quasi illato juramento præstito, causa vel capitulum decidatur, C. de reb. cred.* igitur utilis actio rei judicatae seu in factum dabitur, *L. 8. C. de reb. cred. Struv. Exerc. 17. th. 51. Lauterb. Diss. de Relat. jur. jur. §. 108. & tunc quoque denegatur appellatio, d. L. 32. §. 1. seqq. C. de reb.*

reb. cred. ibique Brunnem. & Struv. *d. l.* iuste vero recusans à præstatione jurisjurandi liberatur, neque alteri referre tenetur, & nisi actor intentionem aliter probaverit non audietur, *L. 12. §. 1. seq. C. de reb. cred.* sed reus absolvetur, *L. 4. C. de Edend.* Lynck. *resol. 268.* Sichard. *L. 12. C. de reb. cred. §. 1. n. 3. & 4.* si deferens relatum recte recuset, is cui delatio facta, aut sacramentum præstabit, aut in poenam non jurantis incidet, *C. fin. X. de jur. jur. L. 11. §. fin. L. 12. seq. de ver. annot. act. Brunn. ad L. 9. C. de reb. cred. n. 10. seq.*

XIXXX
§. XL

Sciendum denique, quod pluralitas personarum de vel juramentum referentium, in puncto recusationis, ordinarie juris inmutationem non inducat, textus enim in *L. 34. §. 6. & fin.* generaliter loquuntur, & ex conventionem partium, effectus supra memorati, proprio jure, manant, imo sicuti licitum cum uno adversariorum transigere, adversus alterum litem persequi, ita & unum sub conditione jurisjurandi dimittere, alterum in una eademque causa jurare recusantem, tanquam convictum & confessum tractare licebit, *vid. L. 2. de jur. jur.* ad nihil igitur magis respiciat Judex, quam ut recusationis Just. vel injustitiam examinet, *L. 12. §. 1. seqq. C. de reb. cred.* ita enim in casibus etiam difficillimis, se facili negotio expedire poterit. Exemplo sit: plures Actores, pluribus Reis puta heredibus, sociis, saper de-
bite

bito juramentum detulerunt, unus acceptat & jurat, hic pro sua rata absolvendus, alter recusat injuste, condemnandus, *L. 9. C. de reb. cred.* juste v. gr. quod ignorans sit negotii inter defunctum, socium & alios celebrati, & alia adversus eum probatione utendum, *Sichard. cit. loc.* nisi quod aliquando, si id æquum videbitur Judici, super credulitate, vel ipsa ignorantia jurare cogatur. *Struv. Ex. 17. th. 36.* creditum enim commune plurium fratrum, coheredum, sociorum ejusdem summæ, cuique eorum deberi intelligitur pro virili portione, *L. 11. §. 1. de duob. reis. L. 10. de V. O. Brunnem. ad L. 9. C. de reb. cred. Struv. Ex. 22. th. 42.* Rursus pone, plures Reos pluribus Actoribus juramentum delatum retulisse, unum hoc in forma delata præstitisse, alterum præstationem recusare, prior pro sua quantitate, quam in prædio, vel debito habet, actionem utilem rei judicata nanciscetur, *vid. §. præced.* quoad alterum si ejus recusatio justitia nitatur, relatio locum non habebit, & referentes præcise jurare tenebuntur, aut poenam non jurantium minime evitabunt, *L. fin. C. de fideic. §. fin. de fideic. hered. §. ad Sct. Treb.* Si vero injusta sit, absolventur Rei & deferentibus denegabitur actio §. *præced.* Inquis si itaque unus ex iis cui relatio facta juret, alter præstationem ejus juste recuset, itaque eveniat ut referentes jurare cogantur, hac ratione juramentum contra juramentum admitteatur, & perjurium necessario ab alterutra parte committetur, Respondebimus, diversas subesse personas, ex quibus unius jus verum, alterius tantum præsumtum esse potest,

potest, deinde si aliquando perjurium subest, venit id ex vicio hominis, non vicio legislatoris, imo tantum quæritur an juratum sit, non an aliquid debeat? *L. 5. §. 2. de jur. jur.* Ex prædeductis similes casus facile decisionem accipiunt. Ea tamen quæ diximus notabiliter fallunt, si plures de vel referentes habeant jus solidi, seu correi credendi vel debendi sint, tunc enim factum unius, præstatio sc. vel delatio juramenti, prodest vel nocet reliquis *L. 28. pr. §. 3. de jur. jur.* Tantum de utili Recusationis materia attigisse sufficiat, quæ dicenda restant, quia temporis angustia constringimur, commodiori occasione reservamus.

F I N I S.

* * * * *

* * * * *

* * * * *

* * * * *

* * * * *






ULB Halle

3

005 350 948







Farbkarte #13

B.I.G.

ELCHIORIS DETHMARI
GROLMANNI,

JURISCONSULTI ET ANTECESSORIS
IN ACADEMIA GIESSENSI
QUONDAM CELEBERRIMI,

23
9
/

1717, 25

MMENTATIO JURIDICA

DE
RECUSATIONE
IURAMENTI
JUDICIALIS.



GIESSÆ,
UD JOH. JACOBUM BRAUN, ACAD. TYPOGR.
M DCC LIII.